



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 218. Liberet nunc eum si vult. v. 43.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Quanta malitia! quis unquam à mundi exordio talem blasphemiam audivit? quasi scelus esset, considerare in Domino Deo. Flete hic mecum ad hanc Dei altissimi ignominiam. Terra, lugeat mecum opprobrium creatoris sui, plorate omnia elementa ad hanc vocem maledictam Iudæorum & Principum eorum. sed obsecro, ô perversi principes, in quo quæso confidendum est? in cuius auxilio sperandum? si non in Deo *in quo omnia, per quem omnia, ex quo omnia, & sine quo nihil*: Et vos iterum alloquor, ô scribæ, in lege Doctissimi, quid lex vestra docet? quid Moyses? quid Propheta? quid Patriarchæ in quo speraverunt illi, & crediderunt? nonne in Dei auxilio, & vos filij eorum in quo speratis? & creditis? in vestra potentia? Romani eam abstulerunt in thesauris vestris, & pecunijs: at quam diu hæc durabunt? consumentur & peribunt, fruetur illis extraneus, quem ignoratis: Vultis verbo dicam, vel non creditis esse Deum cæli & terræ, vel ut Deum agnoscere & honorare recusatis. de ore vestro vos iudico.

O Iesu potentissime, Deus de Deo, lumen de lumine, quid dicam ad hæc vocem & malitiam impiorum hominum? horresco referens totis membris & vox faucibus hæret: nunquam ego sic vel cogitem vel dicam, sed dicam, omni tempore; *Deus meus es tu & confitebor tibi, Deus meus es tu & exaltabo te*. Atque ideo summe Pater, omnipotens, æterne & clemens Deus, te oro, ut veram, rectam & christianam fidem illam, quæ sincera & incorrupta est, & nullis errorum tricis involuta, nec labe perverſitatis maculata, mihi instilles. Fac etiam, ut opera mea fidei illi convenient & respondeant, ne fides bona malis operibus polluat, & defædetur, ne te via mea impura abnegare videar, quem fide vera confiteor: tribue etiam, ut ea tantum sequar & confitear, quæ tua sancta Ecclesia spiritu veritatis munita docet & confitetur, donec ad te in regnum tuum per veniam.

§. 218. *Liberet nunc eum si vult.* v. 43.

Continuant Iudæi malitiam, & super iniquitate iniquitatem addunt quia ante exprobaverant Iesu, quod consideret in Deo, nunc potentiam Dei patris & voluntatē oppugnant. Propterea dicunt, liberet eum, si vult, dixit enim, *quia filius Dei sum?* Ergo si filius Dei sit, pater liberet eum, si vult, quasi vellent dicere, si potest, velle enim & posse apud Deum eiusdem virtutis sunt. expecta Iudæe, quod modo non vult Deus liberare filium Christum de cruce, causa est, quia hora hæc est potestas tenebrarum, per quam filius Dei mori debet pro mundi salvatione, propterea autem potentia Dei non minuitur, nec voluntas deficit si modo non velit, sed & vos ô Iudæi intra triduum comprobabitur & potentiam & voluntatem, cum Deus, pater illum

illum à morte excitabit, & ipse ad patrem in cœlum conscenderit.

Sed nunc tecum quisque perpendat, multa que cum passione & dolore meditetur, qua piissimum Christi cor fuerit pœna affectum cum ipse, cuius natura bonitas est, virulentam illam atque obstinatum cerneret malitiam Iudæorum, simulque per diuinam suam nosset sapientiam, quam improbo liuidoque ex corde hæc probra & blasphemias euomerent: Et reuera si quid in super in eum conuictorum aut iniuriæ conferre potuissent, neutiquam sibi temperassent. Vnde ad extremum cum aliud nil ei obijcere possent adiecerunt.

§. 219. *Dixit enim: quia filius Dei sum. v. 43.*

O gens scelestâ & impia! quo te malignus adduxit spiritus, vt patri misericordiæ suam obijcias bonitatem qua inductus se tibi reuelare, & tecum facie ad faciem loqui dignatus fuit. itane iniuria tibi ab eo facta est, quod paternum suum laxans sinum, diuitias gratiæ suæ effudit! eundem demum tua pro salute morti obijciens soluit grauissimum debitum tuum pretioso sanguine dilecti filij sui! Et hisce pro beneficijs tu in eum blasphemias euomis tanquam qui non possit opem ferre filio suo, qui defunctos omnes vnico verbo reuocabit ad vitam, quique iam ante & cælum & terram verbo condidit, & omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.

Omnipotens, æterne & misericors Pater, qui noluisti filium tuum liberare à tormentis extremis & morte turpissima, vt vitam nobis procuraret æternam morte sua, cum hanc tuam gratiam non modo non agnoscere voluerint Iudæi, sed & eam blasphemauerint ingrati, & infideles, te supplex ex toto corde oro, vt in hac peregrinatione non ita exæcer, sed relictis diuis rectam viam fidei Catholicæ cognoscant, nec ab hac semita vnquam deflectant, da etiam veram & Christianam dilectionem mutuam & ardentem tui amorem, vt tibi omni tempore pro beneficijs redemptionis tuæ gratus sim & fidelis.

§. 220. *Dixit enim quia filius Dei sum. v. 43.*

Dixit & vere probauit: probauit & pater eius cœlestis voce de cœlo lapsa publicè in eius baptismo ad flumen Iordanis teste etiam S. Ioanne filio Zachariæ summi Sacerdotis, & vobis ipsissimè audientibus. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite:* probauit & demonstrauit eum vobis spiritus sanctus cum in specie columbæ aduolauit in baptismo & super eum sedit, probauit eum filium esse Dei Patris Ioannes Baptista,

T. 3.

cum